



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio XXVII. Vtrùm per potentiam absolutam Christus potuerit suam
unionem mereri?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

emanationis naturalis: ille enim est qui emanat, & non producit intellectiōem ut quod. Ratio à priori, quia ad terminandam actionem sui non eget alia re ut termino; secus ad agendum: quia potest esse instrumentum alterius: item anima creatur ut quod, & sentit ut quo. Idem contingeret si species impressa crearetur, qua intelligeremus ut quo. Deinde omnis forma materialis generatur ut quod prius natura, quam unio, ut dixi disp. 5. Physic. Adde, licet humanitas secundum unionem terminet unionem corporis & animi, non tamen hominis generationem: quæ includit generationem substantiæ. ex utraque autem conflatur adæquata hominis productio; singulæ autem sunt partiales. Unde humanitas non est terminus quod adæquata generationis, sed homo. Ostendi item in Trinitate principium quod diuidi in completum, & non completum: non completum, est natura præcisa substantiæ; completum, est complexum ex natura & supposito.

§. 37. Tertium argumentum à nobis est. Nam actiones accidentium adscribuntur subiectis, à quibus pendet existentia accidentium, cui opponitur

substantia, quæ est perfectitas secuta creationem: *S. Thom.* si autem accidentia operantur separata, non est quod actio natura sua non supponat subiectum ut principium per se suæ causæ; sed quia subiectum non influit immediatè in actiones sui accidentis, causalitas autem subiecti in accidens suppletur à Deo per creationem: at rectè potest effectus pendere per se, & non per accidens, ab aliqua re, quæ in illum non influat immediatè.

§. 38. Quartum probat, actionem non oriri immediatè à supposito; non tamen probat suppositum non esse per se necessarium: ut enim subiectum non est causa per accidens actionis oræ à suo accidente, licet in illam non influat immediatè, sed est causa per se; ita & suppositum, per cuius separationem natura, & eius actio erant peritura, nisi diuinitus impediretur interitus. Dico *causam per se*, id est, non omnino per accidens: iam enim ostendi volum. 1. disp. 8. Physic. à §. 86. causam remotam non esse propriè causam, sed per accidens in rigore, denominatione autem est causa. Hæc obseruantur in quæstionem 59. ad impeccabilitatem Christi.

DISPUTATIO XXVII.

Vtrum per potentiam absolutam Christus potuerit suam unionem mereri?

SECTIO I. Docti cuiusdam opinio.
SECTIO II. Opinio Patris Suarez.

SECTIO III. Ratio conclusionis.

§. 1. **Q**uestio est de eodè instanti reali, quo primò habuit unionem, non verò de operibus tempore prioribus unione hypostatica: an humanitas Christi, ut est ex natura rei prius unita Verbo, quàm bene operans; potuerit è conuerso diuinitus operari prius natura quàm uniri, & Deus moueri eo opere ad conferendam unionem? ut hæc propositio sit vera: *Ideo data est unio, quia Deus præuidit humanitatem operari: ut, ideo datur gratia, quia homo est contritus.*

§. 2. Negant Patres Vasquez atque Ragusa fundamentis iactis, & dirutis disp. 26. sect. 2. & 3. Caietan. autem hoc art. affirmat, subscribit P. Suarez disp. 10. sect. 4. §. Hæc sententia. Cui etiam subscribent, qui naturam creatam censent posse diuinitus absque vlla substantia seruari, ut P. Valentia adductus disp. 26. §. 20. & in parte Nazarius ibidem adductus; & ex recentibus nonnulli: quorum sententiæ suffragor & ego, rationibus refragaturus.

SECTIO I.

Docti cuiusdam opinio.

§. 3. **N**eotericus quidam Theologus doctrina & ingenio non vulgari, hæc opinatur. Potuit Deus decernere hanc humanitatem Christi in particulari, & illi decernere suppositum vagum & indeterminatum, cum quo supposito humanitas potuit videri bene operans: sed visâ tali operatione potuit moueri ad decernendum illi suppositum Verbi: ergo. Maior probatur, quia in mille casibus constitui debent in Deo istæ indeterminatæ voluntates, ut cum vult cum libero arbitrio creato concurrere ad operandum liberè, tunc autem præscindit ab hac, vel ab illa operatione. Adde, cum dat optionem hominibus vnum è duobus efficiendi, ut, offerre turtures, aut columbas. in concursu

ad materiale peccati est familiaris aliquibus hæc doctrina.

§. 4. Disp. 13. sect. 9. à §. 224. latè egi contra istos actus Dei vagos & indeterminatos: ommissis autem quæ dixi contra vagas cognitiones, & simplices complacentias Dei, hanc sententiã impugno Primò, ratione B. Thomæ q. 2. art. 2. ad 3. qua probat Verbum non assumpsisse naturam humanam in communi, sed in indiuiduo: quia alioquin omnes naturæ humanæ essent assumptæ: ergo & illa humanitas esset existens in omnibus suppositis. Consequentia patet à paritate rationis. Probo antecedens: quia ratio communis humanitatis, vel sunt omnes humanitates, vel aliqua ratio identificata realiter cum omnibus.

§. 5. Dices, esse omnes humanitates indeterminatè, non verò determinatè. Contra Primò, B. Thomas non colligit assumptionem omnium naturarum ex assumptione omnium in particulari: esset

S Thom.
2. 2. 11.

esset enim idem per idem; sed ex assumptione naturæ in vniuersali, cuius vniuersalitas consistit in indeterminatione, & confusa abstractione ab omnibus inferioribus. Contrà Secundò: Ergo omnes illæ essent indeterminate assumptæ à parte rei: nam sicut actû vniuersali omnes humanitates cognoscuntur aequaliter, ita vt ille actû sit representatio omnium, licet confusa & extrinseca: ita omnes humanitates essent realiter intrinsecè & aequaliter assumptæ. Confusio autem non reperiretur in assumptione physica, sed in intellectu aut voluntate: quidquid enim existit à parte rei vt existit, determinatè existit: indeterminatio autem est extrinseca denominatio à potentia intentionali.

§. 6. Confirmatur Primò. Illa ratio suppositi est idem realiter cum supposito omnibus tam creatis, quàm diuinis: ergo est omnia supposita. Consequentia est certa: quia cum Petro nihil est idem realiter præter ipsum Petrum; ita nec cum omnibus suppositis, præter ipsa supposita. Antecedens probò: demus humanitatem existere in illa indeterminata ratione suppositi, existentem inquam realiter & absolute pro aliquò priori, non verò sub conditione: sic enim nulla esset difficultas: non enim mereretur per opera facta sub conditione suppositi. demus igitur cum hoc supposito operari, Deus moueretur per hanc operationem ad illud dandum suppositum diuinum. Hæc noua voluntas non destrueret rationem communem suppositi: nam in illo instanti reali non potest produci, & corrumpi suppositum vt sic: quia simul esset, & non esset: ergo sunt simul realiter suppositum determinatum & indeterminatum. Non sunt autem realiter distincta: quia ratio communis, & particularis nõ distinguuntur realiter. Quòd si distinguerentur, vtramque fore singularem monstraui disp. 5. Metaphys. sect. 1. & 2. ergo sunt identificata realiter: ergo ratio suppositi indeterminati non distinguitur realiter à supposito Verbi. Neque item distinguitur realiter à supposito humano; quia potuit illa ratio communis suppositi contrahi ad humanum, vt ad diuinum: fuit enim indifferens illa voluntas ad merendam vnionem hypostaticam. Neque Deus coactus fuit ex vi primi decreti ad eam conferendam: quia data est vt præmium operum prodeuntium à supposito vt sic: præmium autem de potentia absoluta separari potest à principijs merendi: ergo potuit illa ratio communis contrahi ad suppositum humanum: quia potuit non contrahi ad diuinum, nec potuit manere comunis; ergo est idem realiter cum supposito humano, quia ad illud non potest contrahi ratio communis, nisi sit idem realiter cum ipso: ergo vel illa ratio indeterminata est realiter ad omnia supposita, vel potuit identificari realiter cum supposito Verbi aliqua ratio, quæ realiter potuit identificari cum supposito Petri: ergo illa fuit realiter suppositum Petri, quia cum illo nihil præter ipsum potest identificari.

§. 7. Confirmatur Secundò. Illa humanitas potuit peccare: ergo potuit carere supposito Verbi: ergo illud suppositum indeterminatum erat realiter indifferens, vt esset idem realiter cum humano & diuino, quod repugnat in terminis: quia quæ semel non sunt idem, numquam possunt esse idem, quia vnum habet negationem alterius.

§. 8. Hinc vltimè argumentor: Repugnat, vt

prædicata communia, quæ realiter sunt idem cum supposito Verbi, sint idem realiter cum supposito creato; quia creatum contrahit suppositum vt sic, ad quæ prædicata non habet realem indifferenciam, sed rationis tantum: ergo ratio suppositi communis semel contracta ad Verbum non potuit de potentia absoluta separari realiter à Verbo: ergo Verbi suppositum non potuit esse præmium illius humanitatis magis quàm suppositum indeterminatè. Neque inter rationes superiores & inferiores potest esse vlla prioritas nisi rationis.

§. 9. Explicatur in opinione de peccatis: qui censent Deum concurrere ad rationem communem entis, non dicunt illam esse realiter indifferentem ad omnes differentias entis; quia semel est realiter identificata cum vna differentia distincta realiter ab alijs: & tale non potest realiter cum illis identificari. Vnde contra eos probaui Deum eodem modo fore auctorem peccati, quo ipsi contra nos: quia concurrat ad illum gradum entis esse inseparabilem realiter à differentia peccati: quòd si esset realiter separabilis, esset ratio communis, & in illa essent materialiter omnes actus boni & mali. Mitto, quæ contra eam sententiam dixi vol. 1. disp. 6. Metaphys. à §. 19. ad 38. & à §. 116. ad 126. Vbi testimonio Basilij & Anselmi probaui, ea distinguui realiter, quæ cognitione possunt separari: quod multò facilius dicent de ijs quæ possunt actione physica separari.

§. 10. Ad argumentum in §. 3. respondetur Primò, illas indeterminatas cognitiones & voluntates esse iam impugnatas: optio autem illa explicari potest more actus conditionati. Ex. gr. da mihi columbas in particulari, nisi dederis turtures; & turtures, nisi dederis columbas. Admissis autem cognitionibus, & simplici complacencia, sine actu conditionato confusis; at efficaces admitti non possunt: quia ex prioribus præcisè nihil produciuntur; at efficaces seipsis produciunt effectus necessariò determinatos & singulares. Quod affertur de libero arbitrio, non est è re: quia Deus nullam habet voluntatem absolutam efficacem de se; sed non efficacem de se absolutam circa actus non malos: vel quasi conditionatam de existentia actuum liberorum, ex qua, & ex determinatione liberi arbitrij oriuntur particulares effectus. At voluntate ex se efficaci nihil potest amari nisi in particulari. Item Deus complet liberum arbitrium non solum ad operandum vt sic, sed etiam ad hunc numero actum, si ipsum exercere voluerit; & ad alium voluntate ex se indifferenti, & conditionata. Nam liberum arbitrium prius natura quàm hunc numero actum exerceat, est completum, per concursum generalem Dei ad illum in particulari: ergo in illo priori habet Deus paratam voluntatem concurrendi ad illum in particulari, si arbitrium velit. Hæc dixi in sententia communiori de immediato Dei actu ad actum malum. Non desunt graues Theologi illum negantes: vt Durandus, Aureolus, & alij antiquiores; à qua sententia non leuiter stat Magister; quam rationabilem vocat Bonauentura; Gregorius autem solemnem. de qua egi disp. 10. Phys. à §. 35. ad 42.

§. 11. Argumentum autem nihil probat: quia est illa ratio concurrendi: at non potest videri ratio communis existens prius quàm differentia, nec mouere ad illam impetrandam; quia non est separabilis

lis

lis ab illa: vt præmium est separabile à merito, vt sæpiùs dixi. est igitur argumentum ex antecedenti falso, & consequentia mala.

§. 12. Mitto ex ea sententia inferri, potuisse à Deo creari humanitatem in communi, & per eius opera etiam in communi moueri ad hanc numero humanitatem, & alia id genus absurda.

S E C T I O II.

Opinio Patris Suarez.

§. 13. **Q**ui disp. 10. sect. 3. §. Dico primò, ait repugnare, Christum mereri prædestinationem suæ vnionis. Primò, quia repugnat hominem mereri suam: Secundò, quia meritum non potuit antecedere eam prædestinationem in præsentia obiectiua: quia meritum vel oritur ab vnione, vel à gratia habituali consecuta vnionem ipsam. At verò sect. 4. §. *Hæc sententia*, ferè affirmat potuisse Christum de potentia absoluta mereri suam vnionem, non quoad primam futuritionem, quam habet ex vi prædestinationis; sed quoad secundam, quam habet exercitam à parte rei. Primum quia patribus data est gratia multò ante existentiæ Christi: quia eius merita fuerunt præuisa: ergo propter eadem merita præuisa potuit ipsi Christo dari vnio. Probat consequentiam, quia gratia data fuit patribus propter merita Christi præuisa, non vt exhibita: sed etiam visa sunt respectu sui antequam exhiberentur. Confirmatur, quia Deus postquam vidit Christum prædestinatum, & habiturum infinita merita, potuit non exequi illam Incarnationem nisi intuitu eorum meritorum, vt propter eadem merita illam exercuit in B. Virgine.

§. 14. Tertio mouetur: quia potuit Deus dare vnionem humanitati cum conditione vt bene operaretur, more anticipatæ solutionis, vt rex dat militi equum & arma in præmium si uis pugna, in quam est iturus: quæ donatio est præmium, & principium meriti. cuius equi impetum P. Suarez difficilè retardari posse arbitratur. quam sententiam verbum pro verbo descriptam secutus est P. Lorin. in psal. 44. v. 8. quem sequitur P. Ragusa disp. 42. §. 4. vers. *Huius*.

§. 15. Quam tamen meritò impugnat P. Vasqu. disp. 21. cap. 5. Ac Primò sumendo prædestinationem vnionis non solum pro voluntate terminata ad vnionem ipsam, sed connotante totam seriem actuum, à qua penderet; certum est non posse eam cadere sub merita Christi: at sumendo eam pro voluntate ad solam vnionem terminata, & ad illius causas physicas, non est difficilius eam mereri, quam executionem, vt patebit sect. 3. Secundò, in sententia P. Suarez tota prædestinatio Christi, & nostra poterit diuinitus cadere sub meritum consequens prædestinati: nam potuit Deus nobis prædestinare gratiam, more anticipatæ solutionis cum conditione, vt per eam rectè operantes persoluere-mus debitum: & sic tota nostra prædestinatio esset ex nostris meritis, sicut vnio anticipata ex meritis Christi. hoc autem esse absurdum pono ex i. p. q. 23. vbi id latè probauit.

§. 16. Deinde si Christus ita potuit mereri suam vnionem: ergo eam meruit. Consequentia patet ad hominem sect. 3. sub initium: quia censet perfectis-

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

simum modum recipiendi dona Dei esse per propriam dispositionem. Dicit verò sect. 4. §. *Sed quid* quid opinemur, ex natura rei meritum esse prius præmio. Hoc de merito antecedenter exercito verum est; at de consequenter exercito, quo pacto id probat? Dicit verò §. *Secundò, si admittamus*, hunc modum accipiendi gratiam non decuisse Christum, quia eam accepit absolutè, & non sub conditione operum sequentium. Tum etiam, quia gratia minueretur. hoc non concilio cum perfectissimo modo recipiendi dona Dei per propriam dispositionem. Tum quia gratia absolutè daretur in exercitio: conditio autem expectatur pro signo aliquo posteriori post absolutam donationem iam existètem. Tum Tertio, quia sic nihil adimitur gratiæ: item ex parte Christi est optimus modus. Secundum patet, quia daretur ex meritis. Primum probo exemplo militis egeni, quem rex beneficio donaret, si donaret equo ad bene pugnandum. Hoc beneficium esset omnino gratis, quia rex nihil viderat ex parte militis dignum equo; pugna autem strenua nondum erat visa, quia nondum erat: & quando fuit, ortum traxit ex gratia regis, id est, ex equo donato sine merito antecedenti. Idem omnino Christo contingeret.

§. 17. Deinde ordo ille intentionis & executionis, vt à suo ponitur auctore, videtur impossibilis: nam per actum intentionis ponitur Christus existens, & operans: sicque videtur scientia visionis; vel non ponitur existens. si non ponitur: ergo Christus in intentione præuisus non potest mereri executionem: quia nullus actus est meritum simpliciter, nisi simpliciter existat: quia neque est simpliciter actus, nisi vt existens simpliciter, vt abunde probaui disp. 8. Metaphys. sect. 1. & 2. & in prædestinatione. hunc autem ordinem intentionis impugnavi disp. 13. à §. 167.

§. 18. Dices, meritum supponit præsentiam. Bene: ergo supponitur vt existens: debet supponi vt obiectum scientiæ visionis: nam vt obiectum simplicis intelligentiæ præcisè non est simpliciter meritum. si autem Christus videtur existens: ergo non potuit mereri executionem Incarnationis per merita antecedentia executionem ipsam: quia iam executio vnionis supponitur ante meritum: ergo sicut ea ratione non potest mereri intentionem sui, ita nec executionem sui. Executionem Incarnationis præcedere probo: quia decretum absolutum Dei, ex quo Christus videtur existens non expectato alio decreto, est decretum executionis: quia executio est actus internus, ex vi cuius effectus videtur existens: nam executio externa est ipsa physica existentia rei vt producta: ergo actus efficaciter terminatus ad istam executionem est executiuus; quando alio non expectato ponit effectum à parte rei. de quo egi disp. 13. à §. 167.

§. 19. Confirmatur Primò. Voluntas executiua vel habet pro obiecto existentiam ipsam Christi, vt extra causas, vel applicationem mediorum ad illam producendam? Si hoc secundum: ergo Christus non potuit mereri substantiam suæ vnionis, sed tantum media, per quæ producatur: quia executio tota saluatur in medijs, & voluntate circa illa: vt patres meruerunt, non substantiam ipsam Incarnationis, sed aliquid ab illa distinctum. Si autem detur primò: ergo prior voluntas fuit executiua. Patet consequentia: quia sicut hæc secunda voluntas ha-

§. Thom. 9.
2. a. 11.

bet per se pro obiecto Christum vt existentem; id est, illum facit existere; ita & prior illum facit existere: quia per te ex vi illius videtur existens, & bene operans independentem ab alio decreto posteriori: in quo omnes constituunt actum executionum: non enim differt ab alio: vt patet ex disp. 13. à §. 167. Si autem executio consistat in voluntate inferente necessariò aliquam electionem mediorum; prima voluntas est executio: quia illà postea non potest non sequi aliqua electio: quia est voluntas efficax finis, qui ex vi illius est existens, & ita cernitur, qui igitur differunt illa: duae voluntates? Arbitror à P. Suarez constitui duos ordines actuum circa finem, & media, alterum intentionis, alterum executionis, vt patet ex disp. 13. à §. 170. & patebit disp. 28. Hoc autem argumentum probat vtramque ordinem esse executionum: quia ex vi vtriusque videtur effectus existere.

§. 20. Confirmatur Secundò. Quando per secundam voluntatem applicantur media, tunc nec per media, nec per illam producit Christum: ergo Deus per illam non exequitur Christum, sed per priorem. Probo antecedens: quando res primò producit in rerum natura, non intelligitur existens, antequam intelligatur existens causa, à qua producit, vt patet ex terminis: sed Christi existentia intelligitur in rerum natura exercita ante causas applicatas per secundam voluntatem executionem: ergo ea media & voluntas non faciunt Christum primò existere. Minor probatur, quia antequam Deus habeat secundam voluntatem, iam videt Christum existentem: quia per te, & merentem, & per te hæc secunda voluntas oritur ab illa priori: ergo prius ratione quam existat per hanc, existit per illam. Dices, extitisse in intentione, non in executione. Contrà: In illo priori intentionis Christus fuit extra causas volitus produci ad extra, & ex vi illius actus est existens pro sui temporis differentia, & ab aeterno est visus existere pro illa non expectato alio: ergo vtròque in executione: videri autem in intentione est videre intentionem efficacem ad actus immediatè executiuos, non verò ponentem effectum à parte rei immediatè per se sine dependentia ab alio actu posteriori: ergo executio iam supponit Christum existentem. Da mihi existentiam gloriae, & ceteras executiones tolle tibi. recognosce disp. 13. à §. 117.

§. 21. Hinc colliges: repugnare, Deum decernere Virgini aut alij gloriam voluntate efficaci ex se eam ponente à parte rei: siue ex qua prævideatur à parte rei existens independentem ab alijs volitionibus posterioribus; illam postea dare per merita: quia hæc non conferrent ad existentiam gloriae, quæ iam præsupponitur existens ante illa, vt patet in Christo. Vtrum autem Deus possit habere voluntatem dandi gloriam per hæc media, ita vt non videatur gloria existens prius quam media libera videantur existentia; sed posterius ratione, non est huius loci. Patet autem ex disp. 13. Deum minimè posse dare gloriam in ratione præmij, nisi ad gloriae existentiam extra causas producendam spectet videre prius merita existentia, & per illa moueatur. Nam si eadem voluntas est ratione nostra dandi efficaciter gloriam & merita, sicut vt est de meritis, antecedit merita: ita eadem merita antecedit, vt est efficax de gloria: & in secundo signo rationis simul videntur existere gloria, & merita: sic autem

merita vt existentia non possunt mouere Deum, vt det gloriam, quæ iam videtur data per priorem voluntatem antecedenter ad visionem meritorum, & sic non est locus nouæ voluntati efficaci circa gloriam ortæ ex eadem visione. de quo abunde egi in prædestinatione, impugnans eas omnes electiones de se efficaces ante merita præuisa.

§. 22. Colligo Secundò, repugnare, vnionem præcedentem in præuisione Dei esse operum subsequentium præmij. Nam hæc iam supponunt illam vnionem existentem in priori nature: quia Deus homo prius existit, quam physicè influat in sua opera: ergo hæc non possunt mouere efficaciter Deum ad producendam vnionem in illo instanti reali. Probo consequentiam: quia causa meritorea est moraliter efficiens sui præmij, & vt meritorea supponitur saltem obiectiuè ante præmij: quia meritum mouet vt visum existere, & ex complacentia Dei in eius existentia oritur voluntas efficax præmiandi; ex hac autem voluntate oritur existentia præmij: si verò præmij videtur existens ante istas visionem & voluntatem; quid hæc conferunt ad illius existentiam magis quam si non essent? Confirmatur ex dictis disp. 13. à §. 283. de prioritate causa finalis, quæ hic magis vrgent: quia finis ad mouendum non requirit physicam existentiam, vt eam requirit meritum. Huic rationi arbitror innixum adagium commune, *Principium meriti non cadit sub meritum*: nempe pro illo priori in quo est causa meriti.

§. 23. Colligo Tertio, eadem omnino ratione antiquos patres per opera facta ex gratia per Christum non potuisse mereri de congruo substantiam ipsam Christi. nam prius quam eorum merita viderentur existere, iam Christus videbatur etiam existens: ergo illorum merita non potuerunt esse priora, neque impetrare voluntatem efficacem Dei circa substantiam Christi iam prius existentem. In quo eadem est ratio meriti congrui atque condigni: non enim oritur difficultas, nisi quia *principium meriti non cadit sub meritum*: quia cum hoc sit causa præmij, non supponit, sed facit præmij. vide disp. 28. sect. 1.

§. 24. Dices: Opera patrum fuere priora tempore Christo: ergo potuerunt mereri substantiam Christi. Nego consequentiam: quia voluntas efficax de substantia Christi, & Christus ipse existens erant prius in præuisione Dei, & sic non potuerunt impetrari per opera subsequenta, licet temporis, & alia circumstantia potuerint impetrari.

§. 25. Ratio à priori: quia principium meriti non cadit sub meritum; cuius rationem difficilem reddunt: est autem, quia præmij ex natura sua est separabile à merito: quia est actus gratiæ & liberalitatis: nec gratia, nec liberalitas est in dando. quod negari non potest ex suppositione meriti: at ex suppositione existentiae Incarnationis, non potest negari existentia vnionis: ergo vnionis existentia non est præmij: imò nec negari potest aliqua mediorum electio: tantumque potest esse meritum circa hæc, aut illa. de quo egi disp. 13. de hoc merito recidet sermo disp. 28. §. 1. & 2.

§. 26. Hinc responderetur ad Primum ex §. 13. Ad Secundum responderetur, viso Christo existente ante sua merita implicare, Deum non exequi eam existentiam sine meritis: quia idem est exequi, & facere existere intentione independentem à voluntate

tate

rate posteriori, quod fit per primam voluntatem. Potuit quidem circumstantias aliquas exequi per merita Christi, non verò substantiam. Ad Tertium, ex §. 14. Alvarez disp. 16. n. 7. cōcedit posse equum illum cadere sub meritum, cui videtur consentire Nazarius qu. 2. art. 11. controu. 1. qu. 3. *verf. Secundo notandum*, id quod confirmat ex B. Thoma 1. 2. qu. 114. art. 5. ad 3. quia equus non est primum principium actionum, quibus meretur miles, sed instrumentum: gratia autem vnionis est principium. Contrà Primum: Fatetur Nazarius Christum non potuisse mereri circumstantias Incarnationis antecedentes, aut comitantes, vt loci & temporis: quæ tamen non sunt primum principium meritorum Christi: ergo nihil interest hæc negatio primi principij. Secundo, equus non est principium actionum, quibus apud Deum meremur essentialiter præmium: hæ enim solùm sunt actiones voluntatis: at apud regem meretur miles ipso vsu equi: rex enim non donat præmium pro sola voluntate pugnandi; sed pro pugna, quæ pendet ab equo: ergo non potest equus cadere sub meritum. S. Thomas voluit equum secundum dominium posse esse præmium actionis eius: quæ non pendet à domino in equum; sed ab vsu: at non est in nobis gratia quoad vsum, nisi eam possideamus, & ea sanctificemur. Vt autem respondeam, equus potuit multipliciter dari: nam vel datus est absolute, ita vt non esset repetendus, siue miles pugnaret, siue non: tunc autem fuit liberalis donatio cum spe pugne, vt parens gratis armat filium spe triumphij: hoc autem longè abest à præmio, quod non oritur formaliter nisi ex complacencia ducis videntis strenuam pugnam. vel equus datus fuit conditione eiusdem repetendi, nisi strenuè pugnetur: hæc autem est contractus innominatus *do vt facias*, longèque abest à præmio: nam strenua vnio potius est finis, quàm meritum donati equi. Vt enim pugna, vt sit, & eius gratia detur equus: at non mouet, quia est; quod est proprium meriti: vsus autem & dominium equi post instans pugna est pretium solutum, & iam tunc potest habere rationem præmij; at verò vsus & dominium pro tempore pugnam præcedente, vel fuit anticipata solutio; vel fuit gratis datum, vt rectè pugnaret; pro toto autem illo tempore non fuit præmium. Idem contingere potuit Christo, vt obligaretur ad bene operandum propter acceptam vnionem. P. Ragusa disp. 42. §. 4. *verf. Huius*, distinguit meritum proprie acceptum in significatione vltioris, à merito minus proprio, minusque recepto: dicit non posse Incarnationem esse præmium proprie meritorum Christi; posse tamen improprie. Respondeo, meritum illud improprie esse contractum innominatum *do vt facias*, quod quidem nullam habet rationem meriti: nec nego vnionem datam humanitati, vt operetur; sed nego datam, quia operatur. cætera sunt nominum abusus.

§. 27. Atque vt radicatus euellatur opposita sententia; aduerte, existenciam meriti supernaturalis sub ratione meriti habere essentialem dependentiam à principio vitali instructo gratia: ita vt ex conceptu meriti actualis per Christum repugnet illud non esse liberum, & exercitum in gratia per Christum: alia verò non habent necessariam connexionem cum existentia meriti per Christum in ordine ad absolutam potentiam Dei. Ea quæ pri-

Per Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

mo modo cum merito necuntur, omnino repugnat, vt pro eodem instanti dentur vt præmium ipsius meriti. Nam reddere præmia pertinet in hominibus ad gratitudinem, in Deo ad remunerationem, seruatque semper proportionem quamdam iustitiæ, quæ à B. Thoma & alijs Theologis vocatur species potestatiua iustitiæ: quia seruat iustam æqualitatem inter meritum & præmium. Quæ autem essentialiter includuntur in merito, non sunt obiectum gratitudinis, nec remunerationis: quia hæc tribuunt aliquid de suo, pro merito, quod non. annectitur, sed impetratur merito. Quare ex vna parte expenditur dignitas meriti, ex alia præmium: inter quæ seruat moralis æqualitas, & ex complacencia in merito datur præmium: si autem pro præmio aliquid daretur, quod Deus nec potentia sua absoluta posset à merito separare, o quam esset liberalis atque munificus, daretque meritum ipsum pro præmio!

§. 28. Dices Primum: Pro instanti sequenti potest gratia & actus ipsi conseruari pro præmio: ergo & in primo. Nego consequentiam: quia post meritum potest operans corrumpi in secundo instanti; impedire autem corruptionem maximum est præmium, quod non contingit in primo instanti.

§. 29. Dices Secundo, posse Deum vt gratia prius donata postea sit præmium pro eodem instanti reali: ergo potest esse præmium. Nego antecedens: nam vt Deus velit gratiam esse præmiū, opus est vt pro illo instanti velit condiciones requisitas ad præmium, vt possit esse obiectum remunerationis. Ad quod requiritur, vt facta suppositione meriti, non habeat necessariam connexionem cum illo. quod repugnat principio meriti: sicque repugnat, vt Deus velit principium meriti dari, vt præmium ipsius meriti pro eo instanti.

§. 30. Vnde clarissimè patet, neque patres ex gratia per Christum, nec Christum ipsum per vnionem potuisse mereri Incarnationis executionem: quia hæc non potest separari à prædestinatione efficaci vnionis, esto possit separari ab his aut illis medijs.

§. 31. Tandem obiicit P. Suarez, Christus meruit antiquis patribus gratia: ergo potuit mereri vnionem propriam. Patet sequentia, quia gratia patrum præcessit tenore vnio autem non præcessit nisi natura. Alvarez disp. 16. n. 6. & Cabrera q. 2. art. 11. disp. 5. n. 13. respondent merita Christi fuisse causam finalem gratiæ antiquorum patrum: causa autem finalis, quia mouet vt apprehensa, potest mouere antequam existat. Contrà: Etiam merita Christi poterunt esse causa finalis vnionis hypostaticæ: ergo eodem modo potuit vnio esse effectus meritorum. Antecedens est commune in schola Thomistarum; quia esse est propter operari. Contrà Secundo: Non potest negari Christum esse causam meritoriam omnis gratiæ hominibus collatæ post primum Adæ peccatum: omnes enim homines in Christo prædestinati sunt, omnes item per merita Christi morte consummata sunt redempti: ergo non solùm Christus est causa finalis, sed meritoria antiquorum gratiæ. Neque ad meritum satis est esse causam finalem, sed etiam requiritur vt sit impetratoria. Primum, quia Trinitas est causa finalis nostræ salutis; non tamen meritoria. Secundo, quia gloria corporis, & nostra prædestinatio sunt in parte causa finalis meritorum

S. Thom. q. 2. a. 11.

Christi; non sunt tamen causa meritoria. Igitur si hæc doctrina negaret Christo rationem meriti comparatione antiquorum gratiæ, impugnanda esset acerbè.

§. 32. Ad argumentum, nego consequentiam. Ad probationem, respondeo illam temporis prioritatem esse per accidens: ea enim quæ sunt posteriora tempore, possunt esse in præuisione priora. Quia igitur merita Christi non dependent ab antiquiori gratia, & quia hæc pender à meritis Christi; idè merita sunt priora in causalitate. Vnio verò est prior natura, quàm merita; quæ in infinita condignitate valoris, pendent necessariò ab vnione: quæ quia est illorum principium, non potest ab illis separari, neque esse illorum præmium: antiquorum autem gratia potest separari ab vnione, & esse illius præmium.

SECTIO III.

Ratio conclusionis.

§. 33. **P**ROBATIONI præmitto Primò doctrinam traditam disp. 13. §. 5. & 13. quãdo vnũ obiectum nõ pender à priori ab alio, sed à posteriori, posse concipi existens pro aliquo priori naturæ, sine illo posteriori. Item posse pro illo priori concipi voluntatem efficacem Dei de causa, quin tunc concipiatur voluntas efficax de effectu posteriori. Quia hæ voluntates tantum exigunt cognitionem sui pro necessitate obiectorum. In illo autem priori vt non cognoscitur effectus, ita nec necessariò voluntas absoluta de illo. at in secundo signo vt per bonam consequentiam infertur altera pars contradictionis effectus: ita infertur altera voluntas efficax Dei. & sicut infertur effectus in particulari, & non vagè, aut liberè, aut necessariò; ita liberè aut necessariò sequitur voluntas determinata. Caue autem in ipso priori coniungas effectum existentem, neque confusè, neque in particulari: quia esset posterius signum existentia confundere cum priori, & actum secundum cum actu primo.

§. 34. Secundò præmitto, vnionem hypostaticam esse posteriorem natura, quàm animum: quia hic creatur independenter à priori ab vnione; hæc autem educitur ex potentia obedientiali illius: & eum vnio subrogetur pro supposito naturali, rectè infertur hoc esse posterius natura anima. Creationem animæ non terminari ad suppositum, neque ad animam vt subsistentem; sed animam formaliter creatione esse subsistentem, id est, independentem à subiecto; per suppositum non esse subsistentem

hoc modo, sed personatam, siue terminatam, ostendi disp. 11. Metaphys. Itaque existentia productionis animæ est independenter à priori ab existentia productionis suppositi, quamuis in esse possibili mutuo pendent.

§. 35. Tertiò præmitto, suppositum non habere influxum vllum in operationes naturæ; sed tantum esse conditionem necessariam, vt natura existat.

§. 36. Hinc probò, conclusionem præmissam §. 2. anima non pender à priori à supposito: ergo potest apprehendi existens præcisa à supposito: ergo potest Deus producta anima expectare conditionem aliquam ex parte creaturarum, & ipsius animæ ad decernendum suppositum, vt in simili dixi de passibilitate Christi: quia libera operatio animæ per se oritur à natura, & non à supposito, quod tantum est conditio antecedens. quod genus conditionis diuinitus potest inuerti: sicut vnio substantialis corporis & animæ est naturaliter antecedens operationem, & tamen diuinitus potest subsequi. Adde, posse animam diuinitus existere, & operari realiter sine illa subsistentia: ergo & apprehendi præcisiuè.

§. 37. Dices Primò, cum P. Suarez disp. 10. sect. 3. §. Ex quibus autem, subsistentiam necessariò præsupponi ante operationem: quia est quasi essentialis; operatio verò accidentalis. Respondeo, id esse verum ex natura rei; non verò de potentia absoluta, vt patet in vnione ad corpus: neque verò est essentialiter suppositum: plurimi autem dicunt neque necessarium ad operationes, sed per accidens.

§. 38. Dices Secundò, naturam nec diuinitus esse posse sine supposito: ergo operatio non potest esse prior. Verum ex opposito antecedentis, quod cum Valentia, & Caietano ostendi in Metaph. apertè obfirmatur conclusio. Deinde consequentia est mala, quia potest natura existere sine hoc aut illo, expectareque Deus actionem liberam animæ ad decernendum hoc, vt ad decernendam vocationem Romæ aut Salmanticæ, licet omni vocatione carere non possit. Vide, quæ dixi disp. 26. à §. 18.

§. 39. Dices Tertiò: Etiam potuit Deus expectare merita animæ ad decernendam actionem in particulari. Nego consequentiam, quia anima vifa existere comprehensiuè, non potest præscindi ab actione, per quam extrahitur extra causas: vagè autem nulla videtur: ergo hæc in particulari. A supposito autem præscindi potest, tamquam à consequenti.